







81


1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE



DE SALLUSTII LIBRO VATICANO 3864 RECENSENDO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE TUBINGENSI

IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS WAECHTER.

BARMIS
EX OFFICINA L. LANGEWIESCHE.
MDCCCLXXXI.
1881

De Sallustii libro Vaticano 3864 recensendo.

Gai Sallustii Crispi scripta quum usque ad extremum medium aevum frequenter lectitata tractata excerpta essent, factum est, ut libri manu scripti, quibus illa continentur, cujusque generis non modo erratis, sed etiam corruptelis lacunisque referti sint, quo accedit, quod ipsi codices haud raro multum inter se discrepant. Hac tanta discrepantia commoti quamquam permulti jam viri docti libros Sallustii examinaverunt, ut et quanta singulis auctoritas sit tribuenda et qui ex quibus derivati sint accurate cognosceretur, tamen usque ad hoc tempus has quaestiones de singulorum codicum fide institutas non plane esse solutas atque ad finem perductas nemo negabit. Jam vero in numero virorum doctorum, qui de arte critica Sallustiana bene meriti sunt, primo loco nominandus est Dietschius, qui etiamsi id non effecit, ut editione sua lectiones haud dubie integras praeberet, tamen ostendit, quibus fundamentis usi codices in certas classes distribuere et inter se conferre possemus.

Librorum enim haec tria genera esse judicat: primum eorum, qui neque J 44,5 verba „neque muniebantur ea“ exhibent et in eo libro extremo ampla illa lacuna mutili sunt;

secundi generis sunt ei libri, qui lacunam illam explevere; tertium eorum est genus, qui etiam J 44,5 exhibent. Etiamsi fateamur necesse est Dietschium de colligendis conferendisque codicibus optime meritum esse, tamen dubitari non potest ex auctoritate Jordani Sauppii aliorum virorum doctissimorum, quin non tanta quanta opus esset diligentia in hac re usus sit. Jordanus[1]) enim demonstravit eum non solum verba quaedam neglexisse, verum etiam lectiones optimorum codicum inter se commutasse aut corrupisse. Contra certiorem rationem codicum in quasdam classes distribuendorum proposuit Sauppius[2]), qui ex parte sententiam Rothii secutus hunc ordinem codicum constituit, ut adscriberet

primae classi eos codices, qui neque verba J 103,2 ‚ex omni copia necessariorum' usque ad J 112,3 ‚pacem vellet, daret operam' exhibent neque J 21,4 ‚de controversiis jure potius quam bello disceptare' neque J 44,5 ‚muniebantur ea neque';

atque ut secundae classi tribueret eos, qui prima lacuna expleta J 21,4 et 44,5 mutili sunt;

tertiae eos, in quibus una J 44,5 lacuna exstat.

Deinde Rothius Mus. Rhen. vol. IX p. 129 disputationem inseruit, qua rationem librorum distinguendorum primo quidem constituit, paullo post eam esse falsam ipse[3]) intellexit. In numero enim optimorum librorum, ut exemplo utar, posthabito Parisino 500 et alios minoris

[1]) in Herm. vol. I p. 229—240 et in Mus. Rhen. vol. XVIII p. 584—593.

[2]) Vorlesungen über Kritik und Hermeneutik. Göttingen 1874.

[3]) in Mus. Rhen. vol. IX p. 630.

momenti habuit neque Parisini 1576 cum hoc comparandi mentionem fecit, qua collatione auctore Wirzio[4]) et Nipperdejo[5]) plerumque verae atque rectae scripturae inveniuntur.

Novissimo autem tempore Weinholdus[6]), ut Linkeri[7]) Dietschii[8]) Woelfflini[9]) sententias praetermittam, dissertatione multa cum diligentia perfecta summam in recensendis Sall. scriptis auctoritatem libro Vaticano 3864 esse attribuendam censuit. Qui num recte in omnes partes judicaverit, quum quaerere mihi propositum sit, in hac quaestione tractanda magnam in eo posui curam ac diligentiam, ut quaecunque a viris doctis et de universa hac re et de unoquoque locorum, de quibus dicturus sum, disputata sunt, ea colligerem; deinde id egi, ut eorum locorum, quos corruptos esse alii cognoverunt nec certis argumentis correxerunt, nova proferrem argumenta. Aliis vero locis, quorum de integritate nemo adhuc nisi Weinholdus auctore libro Vo dubitavit, ejus sententiam aut ratione logica et sententiarum conexu adductus aut, quia a Sallustii genere dicendi aliena mihi visa est, coarguere conatus sum.

Atque quum Vus de quo agitur liber praeter Caesaris bellum Gallicum, Plinii epistulas, Aethici scriptorum partes paucas, C. Sallustii Crispi orationes excerptas

---

[4]) De fide atque auctoritate codicis Sallustii, qui Parisiis in bibliotheca imperiali n. 1576 asservatur. Aroviae 1867.

[5]) Index lect. Jen. a. 1872.

[6]) Quaest. Sall. in actis societatis philol. Lips. I 2. p. 185–241.

[7]) Emend. Sall. ex actis acad. Vindobon a. 1855 seorsum ed.

[8]) in praef. ed. maj. a. 1859.

[9]) in Philol. vol. XVII p. 519—548.

de Historiis, epistulas, extrema parte duas epistulas ad Caesarem senem de re publica exhibeat, quin ex antiqua collectione, quales sua jam aetate confectas esse testatur Fronto, conscriptus sit, dubium non videtur. Quam ob rem, si quaeritur, quae ratio intercedat inter Vum et ceteros libros, apparet eum certae classi non esse adscribendum, sed originem duxisse e libro vetustissimo ac satis bono, qui multis in rebus cum eo, ex quo P 500 aliique derivati sunt, consentit. Ex eodem fonte fortasse haustus est Bernensis liber, quem in eis partibus, quas communes cum libro Vo memoriae tradidit, miro modo cum illo consentire affirmaverunt viri docti.[10]) Illud quidem quamquam Weinholdus concedit librum Vum ex dilectu quodam orationum et epistularum e Sall. libris descriptarum ortum esse, cujus dilectus auctor fortasse ipse epistulas sermone Sallustiano compositas scripserit, tamen ejus de fide hujus libri judicium multum distat ab eis, quae Jordanus[11]) protulit. Is enim, qua est ingenii sagacitate, offendens in diversa ceterarum partium et epistularum ad Caesarem compositione luculentissime editorem illum docet in eis, quae ex Sall. scriptis hausisset, antiquas formas delevisse, in epistulis ad Caesarem datis integras reliquisse. ‚In illis, inquit, pro vetustiore littera u semper legitur i et praecedente littera v semper fere pro o posita est u. In epistulis vero rhetoris leguntur in formis superlativis quae vocantur u pro i undecies, ‚lubido et lubet' sexies, forma gerundii in u pro e quater,

[10]) Rothius in Mus. Rhen. vol. IX p. 129; Woelfflinus in Philol. vol. XVII p. 154; Dietschius in praef. ed. a. 1859 I p. XI.

[11]) in Herm. vol. I p. 232 sequ.

semel ‚uolgo et peruorsam'. His etiam graviora antiquae scripturae vestigia addidit. Neque vero quum idem, quam inusitatum et obsoletum regnante Augusto id scribendi genus fuisset, enucleate ostendisset, dubitari potest, quin duplex mutandi consilium rhetori fuerit. Nam quamquam veri simile est, ut eadem scribendi ratione usus fuerit Sallustius, tamen, quum paullo post haec consuetudo pro dura atque insolenti sit habita, libri ejus manu scripti purgati esse et emendati videntur.

Nactus igitur libros Sallustii non mediocriter corruptos hanc mutandi rationem editor iniit, ut, quaecunque ei insolita ac singularia viderentur, eis in usitata pervulgataque mutatis libros ita emendaret, ut scholarum usui apti essent. Accedit id quod ad recte scribendi rationem attinet, quod rhetor ille verba scriptoris a corruptelarum sordibus jam purgata repperit aut, si quae depravata erant, restituit. Contra in epistulis ad Caesarem datis si idem rhetor formas Sallustianas adhibuit, quarum in ceteris scriptis vestigium nullum invenitur, concedamus necesse est studio antiquioris sermonis eum, quo imitaretur Sallustium, eo esse adductum, ut usitatis insolita verba collocationes structuras anteponeret.

Quid! quod horum argumentorum alterum refutasse sibi videtur Weinholdus, quum liber Vus saepius vetustiores neque tam elegantes praeberet scripturas quam ceteri libri, cujus rei exempla affert locos J 14,11, ubi Vus solus recte ‚non quit', ceteri omnes ‚nequit'; J 31,25, ubi Vus ‚amittatis', ceteri omnes, omittatis; J 85,23, ubi Vus ‚neque mala neque bona', ceteri omnes ‚neque bona neque mala' scripturam exhiberent. Praetermisso primo loco — cujus lectionem ‚non quit' Weinholdus nullo

argumento adjecto non tam ex grammatici studio mutandi ortam profitetur quam haud dubie genuinam esse traditam — quo jure dixerit librum Vum praebere duriores vel obsoletiores scripturas, quum altero loco reperiretur ‚amittatis' pro ‚omittatis', altero ‚neque mala neque bona' pro ‚neque bona neque mala' non facile est intellectu. Nam J 31,25 ‚ne tantum scelus impunitum amittatis' alienum esse a sermone Latino infra demonstrare conabimur et, si Weinholdus J 85,23 offendit in verborum ordine, eum fugit talis licentiae exempla praeter ea, quae tractavit, permulta in libro Vo scripta exstare, quibus apparet certo consilio verba nonnunquam esse transposita. Locos subjeci

‚C 51,20 Vus in armis sint — PC sint in armis
C 35,1 — in magnis meis — magnis in meis
C 51,22 in eos verberibus — verberibus in eos
C 58,12 pugnare pro potentia — pro potentia pugnare
J 14,11 regno meo — meo regno
J 85,3 uestro beneficio — beneficio vestro
J 85,45 bonum animum habete — bonum habete animum'.

Praeterea Weinholdus in disputatione sua parum religiose mentionem fecit locorum, quibus verba inculcata esse scripturae Vaticani libri perspicitur. Sic explicationis causa ni fallor C 35,6 ‚Nunc Orestillam commendo tuaeque fidei trado' in libro Vo ante verbum ‚commendo' interpositum est, ‚tibi', quum is, qui locum mutandum esse censuit, nesciret ‚commendo' quo pertineret verbis subsequentibus, ‚tuaeque fidei' satis clarum fieri. Etiam gravioris momenti exemplum C 51,22 exstat, quo doceatur solum Vum Sallustii manum non reddere: ‚An quia lex

Porcia vetat? at aliae leges item de condemnatis civibus non animum eripi, sed exilium permitti jubent', quia ,de' in hoc conexu sententiarum adhibitum quo jure comprobetur nec genus Sallustii dicendi nec leges sermonis Latini ostendunt.

Jam vero quum, quid ab hac parte praesidii codicibus paretur, me dijudicaturum esse haudquaquam confidam, certamen virorum doctorum nunc relinquamus et summum momentum in verbis ipsis positum esse rati ad locos singulos, quibus librum Vum ceteris praestare Weinholdus statuit, examinandos transeamus. Priusquam autem hanc quaestionem instituimus, dicendum mihi esse videtur, eum cum paucis viris doctis [12]) fidem codicis Vi obstante judicio multorum eorumque summorum virorum tanti fecisse [13]), ut auctoritatem reliquorum fere nihili aestimaret. Jordanus vero hanc artis criticae Sallustianae legem sibi scripsit, ut discrepantibus libri Vi et primae classis librorum scripturis eis locis, quibus neque leges sermonis recti atque integri neque usus Sall. dicendi obstarent, ea in textum reciperentur, quae in Po leguntur. Quam recensendi rationem non modo probavit Eussnerus [14]), sed etiam Dietschius editione Lipsiensi a 1859 Weinholdi sententiam secutus initio praefationis editionis quartae, quae Lipsiae anno 1869 prodiit, facere se non potuisse profitetur, quin in omnibus locis Jordani judicium amplecteretur. Non adeo eis assentiri conatus est nuper Anhaltius, [15])

[12]) cfr. Dieckii et Boesii diss. inaug. Jen. et Gotting.

[13]) cfr. Jordanus in praef. ed. sec. a 1876 p. IX.

[14]) Exercitationes Sall. Wirceburgi 1869.

[15]) Quae ratio in libris recensendis Sall. recte adhiberi videatur. Diss. inaug. Jen. a. 1876.

qui quidem ex parte Jordani de Vo commentationem collaudavit, sed ei majorem, quam par erat, fidem atque auctoritatem vindicavit. Neque in universum satis recte disputasse de arte critica Sall. mihi videtur, quum et librum Paris. Sorb. 1576 atque Vum pari praestantia esse contendat et in ratiocinationibus suis non semper constantia ac circumspectione usus nonnulla ad suum judicium revocet. Idem quod dubiorum aut corruptorum locorum medelam a Salustii imitatorum sermone petiit, haec res vitio ei danda est, quoniam, quam periculosum lubricumque id argumentandi genus sit, viri docti saepius explanaverunt.[16]) Ita factum est, ut, quum non solum compluribus locis Vi scripturas obstantibus gravissimis argumentis eis, quas PC tradiderunt, anteposuerit, sed etiam levitate quadam nonnunquam ductus lectiones haud integras probarit, pauci in ejus dissertatione exstent loci, qui omni offensione carere videntur. Sunt enim inter eos, de quibus dicturus sum, hi:

J 31,25 ‚ne tantum scelus impunitum omittatis CP'; P ‚obmittatis'; Vus ‚amittatis'. Quamvis subtilissime hanc controversiam solveret, quum notionem utriusque verbi et omittendi et amittendi proponeret, tamen ne Sall. credatur ab hoc sermonis usu aberrasse, locos subjeci

C 28,4 bonaque omnia amiserat C 58,21 cavete inulti animam amittatis C 31,1 neque amisso patrimonio liberum corpus habere C 37,5 per dedecora patrimoniis amissis J 31,17 dedecus est parta amittere J 52,4 amisso loco J 84,3 studia volgi amissurus ep. Mithr. 14 milites amittere.

---

[16]) Jordanus in praef. ed. sec. a. 1876 p. IX. Meusel in der Zeitschrift für das Gymnasialwesen. Februar-Maerzheft. Berlin 1880.

Omittendi verbum idem significare quod praetermittere sive silentio praeterire sive neglegere, loci testantur

J 70,5 ne omisso vetere consilio novum quaereret J 66,1 omissa deditione bellum incipit J 93,1 omitteretne inceptum J 10,1 ut alia magna . . . omittam J 102,14 ceterum vetera omittere C 31,3 superbia atque deliciis omissis C 52,24 sed ego haec omitto'.

Eodem vero sensu hoc loco positum esse omittendi verbum ut putem, similis me loci comparatio movet; leguntur enim in ejusdem cap. § 21 ,Atque ego, tametsi viro flagitiosissimum existumo impune injuriam accepisse, tamen vos hominibus sceleratissimis ignoscere, quoniam cives sunt, aequo animo paterer, ni misericordia in perniciem casura esset'. Neque satis intellegitur, quum in hac re tractanda locum Hist. III 61 or. Lic. 14 afferat, cur non mentionem faciat loci Hist. III or. Phil. 3

,Pro di boni, qui hanc urbem omissa cura adhuc tegitis', de quo prolixius est disputatum. Etenim alii, quod ,omissa cura' ad deos referri posse negabant, pronomen ,qui' ad senatores spectare putaverunt; Cortius vero explicavit ,qui adhuc neglegentes estis in hac urbe regenda'. Ei adversatus Gerlachius[17]) ,nullum, inquit, regimen deorum potest esse cura omissa, nam in ipsa cura gubernatio deorum est posita'. Neque multum ab hoc distat Kritzii[18]) judicium, qui, quomodo haec verba sint intellegenda quum ex universo Philippi consilio tum e verbis continuo sequentibus colligi vult. Sed quum et Kritzius et aliorum plerique consentiant illa Philippi verba

---

[17]) in ed. vol. III p. 65.

[18]) in ed. maj. vol. III p. 66.

paullo obscurius esse enuntiata, nescio au potius in Hauptii [19]) conjecturam ‚amissa curia' confugiamus.

Eadem Anhaltio fides debetur J 85,16, quia rejecta lectione Vi ‚ac si jam ex matre Albini aut Bestiae quaeri possit, mene an illos ex se gigni maluerint, quid responsuros creditis, nisi sese liberos quam optumos maluisse' ea, quae Po continentur, ‚ex patribus . . . posset . . . voluisse' defendit et J 24,3, quo loco ex communi omnium praeter Vum librorum consensu ‚ferro an fame acrius urgear incertus sum' retinet. Huc accedit, quod auctoritate Jordani adjutus etiam in ejusdem cap. § 9 cum ceteris libris ‚scribo' pro Vi scriptura ‚scripsi' legi vult.

Nunc eo redeamus, unde profecti sumus. Librorum scripturam C 20,7 non leniter esse perturbatam constat, quamobrem et Jordanus et Weinholdus locum accuratius tractaverunt. Liber Pus et ceterorum optimi exhibent ‚ceteri omnes, strenui boni nobiles atque ignobiles volgus fuimus'; in Vo legitur ‚ceteri omnes boni atque strenui nobiles et ignobiles'. Quum vero utraque scriptura quin sit improbanda dubitari non possit, quaeritur, quo modo verum rectumque restituamus. Atque si haec verba libris tradita inter se comparamus, apparet ea, quae in Vo continentur, minus apta nobis videri, quia non solum in transpositis ‚boni atque strenui' adjectivis offendimus, sed etiam in usu particulae ‚atque' copulativae. Ubi enim Sallustius voces contrariam notionem significantes inter se conjungit, eum rarius ‚et' particula, sed omnibus fere locis ‚atque' usum fuisse exempla docent J 31,12 honesta atque inhonesta J 80,5 C 30,4. Eadem ‚atque' particula

[19]) in Mus. Rhen. vol. I p. 473.

saepius occurrit in extremo enuntiatorum membro C 3,4 fama atque invidia C 5,9, J 51,1 arma tela, equi viri, hostes atque cives permixti.

Haec fere sunt, quae obstant, quominus in posteriore hujus sententiae parte ab optimorum librorum scriptura, ‚nobiles atque ignobiles' recedamus. Neque vero prioris partis, sive legitur ‚strenui boni' sive ‚boni atque strenui', verba offensione carent, nam qui sunt illi, qui vocantur boni, qui sunt strenui? Quo in discrimine quum Weinholdus neque recte statuerit a Sallustio ex mente Catilinae strenuum eum dici, qui summo animi ardore contra senatum optimatiumque factionem inflammatus sit, et in errore sit versatus, quia bonum eundem dici vult quem strenuum, conjecit verbo quod est ‚boni' sublato ‚strenui imbellesque, nobiles atque ignobiles'. Sed non de sua modo et sodalium misera condicione hoc loco verba facit Catilina, sed, ut eorum animos magis sibi conciliaret, enarrat paucos homines in re publica gubernanda et administranda tantam nactos esse potentiam, ut universum populum Romanum, id est ceteros omnes . . . nobiles atque ignobiles opprimerent (cfr. J 41,7). Jam vero si recte haec disputavi, optimo jure Catilina in oratione sua mentionem facit ‚ignobilium', quum id vocabulum non ad socios, quippe quorum plerique homines summi ordinis essent, sed ad omnes cives Romanos spectet. Quodsi certum est, paucis illis hominibus verba opposita esse ‚ceteri omnes', ad quae explicanda et amplificanda adjecit Catilina ‚nobiles atque ignobiles', inde sequitur, ut in altera quoque sententiae parte requiratur adjectivum aliquod. Neque alia ductus ratione Weinholdus, ut restitueret locum, conjecit ‚strenui imbellesque, nobiles atque

ignobiles' cujus scripturae affert argumentum J 67,2 juxta boni malique, strenui et imbelles. Quum vero, quae illa enuntiatione continentur, neque referenda sint ad Catilinae socios solos et id ille agat, ut suorum virtutem collaudet, verbi causa

§ 2 ni virtus fidesque vostra spectata mihi forent

§ 3 multis et magnis tempestatibus vos cognovi fortis fidosque mihi

§ 9 victoria in manu vobis est: viget aetas . . . num tales viros appellare ei licuit ,strenui imbellesque'? Contra rejecto ,strenui' adjectivo, quod glossema appositum esse viri docti cognoverunt, alterius sententiae membri voce ,malique' nullam invenias aptiorem, quae ,boni' opponatur, ita ut legatur ,ceteri omnes, boni malique, nobiles atque ignobiles'. Alterum neque id spernendum nobis datur argumentum, quo innisi hanc scripturam meliorem putemus, ex scriptis Vict. Caes. 24,9 immissique in imperium promiscue boni malique, nobiles atque ignobiles. Constat enim eum, Septimium, Severum, multos alios permulta e Sallustii scriptis in sua transtulisse, quo in numero hunc locum esse quis est, qui neget?

In ejusdem capitis § 10 in PC scriptum exstat ,Verum enimvero pro deum atque hominum fidem victoria in manu nobis est, viget aetas, animus valet; contra illis annis atque divitiis omnia consenuerunt', in Vo ,vobis'. Quae librorum discrepantia optime nexu sententiarum solvitur. Studet enim Catilina hac oratione amicos seditiosos et novarum rerum cupidissimos ad acriter agendum quam vehementissime excitare. Itaque ut doceat longe aliam esse vitae condicionem illorum atque amicorum,

non solum praedicat penes illos fortunas honores potentiam, sibi et amicis nihil nisi inopiam et aes alienum esse relictum, sed etiam, quo magis hanc rerum diversitatem persequatur, in extrema hujus capitis parte summa vi pronomini ,illis' opponit ,nobis'. Leguntur ,illis divitias superare — nobis rem familiarem deesse; illos binas aut amplius domos continuare — nobis larem familiarem nusquam ullum esse; divitias suas vincere nequeunt — at nobis est domi inopia'. Quae quum ita sint, non est, quam ob rem Catilina primum pronomine ,vobis', insequenti orationis parte semper ,nobis' utatur, quum ipse ejusque socii eisdem calamitatibus oppressi eisdem quoque causis freti sese victoriam adepturos esse sperent.

Emendandi studio in verbis C 33,1 ,Deos hominesque testamur, imperator, nos arma neque contra patriam cepisse neque quo periculum aliis faceremus, sed uti corpora nostra ab injuria tuta forent, qui miseri egentes violentia atque crudelitate feneratorum plerique patriae, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus' ,patriae' genitivus mutatus videtur esse in ,patria' ablavitum, quum auctor libri Vi de concinnitate sermonis cogitans in duplici ,expers' vocabuli structura offenderet. Improbatis argumentis, quae ad Pi scrupturam firmandam collegit Cortius, hoc loco Weinholdus ne Vo quidem satis auctoritatis tribuit, sed totam sententiam propter ,sed' particulam adversativam arbitratus esse turbatam conjecit a Sallustio scriptum esse ,qui miseri egentes violentia atque crudelitate feneratorum plerique patria sede, omnes fama atque fortuna expertes sumus'. Jam vero si illa exempla ab eo rejecta qualia sint, perspexeris

C 25, 2 docta litteris . . . multa alia

J 74,2 signorum et armorum aliquanto numero, hostium paucorum potiti

J 84,3 plerosque militiae, paucos fama cognitos ea certo documento esse elucebit structurae, de qua agitur. At utcunque res se habet, hoc constat Weinholdum, quum in ,sed' particula adversativa offendens locum conjectura esse sanandum censeat, omnino haec verba non satis intellexisse. Nam ita opponuntur hoc loco, quo de Catilinae sociis sermo est, inter se eorum ,plerique' et ,omnes', ut post ,plerique' vocabulum mente supplendum sit ,quidem', cui ,sed' particula insequens respondeat; sive, si sensu negativo exprimere licet: non omnes quidem patriae, sed tamen: wir Elenden, Dürftigen, die wir durch Gewaltthätigkeit der Wucherer grössten Theils des Vaterlandes, alle aber der Ehre und des Vermögens entbehren müssen.

In oratione Caesaris C 51,9 ,Plerique eorum, qui ante me sententias dixerunt ,composite atque magnifice casum rei publicae miserati sunt' quamquam Vus unus ,sententiam', ceteri omnes pluralem numerum exhibent, tamen ei, qui ejus auctoritatem sequuntur, ,sententiam' singularem numerum tueri student. Attamen quum ,sententias dixerunt' et ,sententiam dixerunt' ita inter se differant, ut illud ,copiosius de re proposita quid statuerent exposuerunt', hoc nihil nisi ,sententiam rogati sunt' significet, utra harum scripturarum melius in nexum sententiarum quadret, eis quae continuo sequuntur docetur ,quae belli saevitia esset, quae victis acciderent enumeravere; rapi virgines, pueros, divelli liberos a parentum complexu, matres familiarum pati quae victoribus collibuissent . . . Sed, per deos immortales, quo illa oratio pertinuit?'

In hujusce cap. § 21 Vi scripturam

,Sed, per deos immortalis, quam ob rem in sententia non addidisti, uti prius in eos verberibus animadvorteretur?'

retinere conatus Weinholdus interpretatur, ut ,in sententia' nihil aliud esse nisi ,cum sententiam diceres' contendat, quae scriptura, quum majorem difficultatem quam ,in sententiam', quod in PC est, praebeat, cum faciliore et cotidiana loquendi forma in illis libris mutata sit. Sed ,in sententiam addere' structura si ea de causa in dubium est vocata, jure miramur, cur in libris verbum addendi non conjunctum sit cum dativo, quod Sallustianum esse testantur loci permulti. Quod si concedimus, cum Herzogio [20]) consentimus ,in sententia' ne Latinum quidem esse; nam Sallustius hoc loco ,in' praepositionem cum accusativo conjunxit, quo sententiam non ut factam et absolutam, sed ut adhuc ferendam proponeret. Ita efficitur, ut hunc verbis sensum subesse putemus: ,in sententiam hoc insuper addidisti' sive id quod Kritzio placuit ,cur, ut sententiam meliorem et pleniorem faceres, non addidisti'. Ceterum collocatione quoque verborum ,in eos verberibus' suspecta libri Vi scriptura (cfr. p. 8) nos impellit, ut quae libris ceteris traduntur recipiamus.

Jam pergo ad Catonis orationem C 52,29, ubi in PC ,Non votis neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando agundo bene consulundo prospera omnia cedunt' legitur, in Vo et Po' ,prospere omnia cedunt'. Weinholdus, ut quae Vo traduntur sustentet, exemplis allatis neque Ciceronem neque Sallustium sic

[20]) Adnotat. in hunc locum.

scripsisse docet. Eorum ut omittam, quae ad Tullianum sermonem spectant, proposuit e Sallustii ipsius scriptis locos depromptos, quos Wirzius[21]) collegit

C 26,5 neque insidiae prospere cessere

J 63,1 cuncta prospere eventura.

Quae scriptura quam accommodata sit vulgari rationi quamquam inter omnes constat, tamen loci occurrunt, quibus Sallustium pro adverbio adjectivum tamquam appositum adscripsisse verbis ,evenire' et ,cedere' elucet. Locis enim

C 20,2 opportuna res cecidisset

C 26,6 aspera foedaque evenerant

illi Sallustii licentiae tributis quid est, cur hunc de quo agitur locum non in eodem habeamus numero, quum accedat, quod ea, quae in Po leguntur, omnes libri servant exceptis Vo et Po? Postremo quid huic loco praesidii auctore loco J 63,1 paretur, dissentientibus ibi codicibus non patet.

Haud secus in § 35 Vi scripturam improbo ,Sed undique circumventi sumus. Catilina cum exercitu faucibus urget, alii intra moenia atque in sinu urbis sunt hostes', quibus in verbis liber Vus ,urbis' genitivum, quum omitteret, suspectum reddidit. Diversum in modum difficillimum hunc locum viri docti tractaverunt, e quibus unus Linkerus offendit in verbis, ,faucibus urget'. Atque quum totum locum referri vellet ad ea, quae reperiuntur Cic. in Cat. I 2,5 ,Castra sunt in Italia contra populum Romanum in Etruriae faucibus collocata, crescit in dies

---

[21]) De fide atque auctoritate codicis Sall., qui Parisiis in bibliotheca imperiali n. 1576 asservatur.

singulos hostium numerus, eorum autem castrorum imperatorem ducemque hostium intra moenia atque adeo in senatu videmus intestinam aliquam cotidie perniciem rei publicae molientem'
scriptura recentiorum librorum ,in Italiae faucibus urget' confisus, spreta ceterorum ,faucibus urget' memoria, scribendum censuit esse
,Catilina cum exercitu in faucibus Italiae agit[22]), alii intra moenia atque in senatu sunt hostes'. Illius opinioni adversatus Jordanus, postquam his verbis negavit figuram quae dicitur chiasmus contineri, quia majore vi positum esset ,alii' quam ,hostes', quae verba ,hostes sunt' quasi praedicatum efficerent, monet ,faucibus urgere' neque sermoni Latino neque dicendi consuetudini repugnare. Exemplis enim jam ab aliis collectis

Plaut Cas. V 3,4 ita manufesto faucibus teneor Cic. pro Clu. 31,48 quum faucibus premeretur Val. Max V 3,3 qui pestifera Gracchi manu faucibus apprehensam rem publicam strangulari non passus est
,faucibus urgere' elucet non de viarum angustiis, sed translate de eis dici, qui aliquo malo ita premantur, ut non sit effugiendi locus. Huc accedit, quod, etsi illius Ciceronis loci cum hoc Sallustii quandam similitudinem esse nemo negabit, tamen, quae ratio intercedat, non minus est considerandum. Jure quidem Cicero castra dixit in Etruriae faucibus esse collocata ducemque illius exercitus in senatu adesse, Cato vero, quamquam Caesarem in suspicionem vocavit, tamen conjurationis principibus

[22]) [non ,urget', quod in Jordani commentatione in Herm. vol. I p. 236 invenitur.]

comprehensis si in senatu hostes assidere dixisset, obstrepentium tumultu perculsus fuerit. Atque ut de refutanda Linkeri conjectura minime ab Jordano dissentit Weinholdus, ita de altera enuntiati parte eorum sententiae multum inter se distant. Ille enim in Vi scriptura vituperat, quod in verbis ,alii intra moenia atque in sinu sunt hostes' vox ,urbis' intercidisset. Nam aut supplendum esse in sinu ,moenium' quod intellegi omnino non posset, aut ,in sinu' verba per se sola ita esse explicanda, ut verteremus im eigenen Busen; minime autem Sallustio eandem dicendi licentiam fuisse, qua usi poetae ,inque sinu bellum' vel ,nascuntur in ipso bella sinu' scripsissent.

Qua in disputatione Jordanus, quamquam recte ,urbis' vocem requirit hoc loco, in errorem videtur incidisse, quum ,in sinu' verbis seorsum ab ,intra moenia' examinatis eam esse necessariam affirmet, quae quidem verba tam arte inter se cohaerent, ut alterum ab altero divulsum interpretari non possimus. Neque Weinholdi sententia est probanda, qui exemplis e Vergilii Vitruvii Flori scriptis depromptis ,intra moenia' verbis notionem urbis attribuit; nam hoc si recte statuisset, aegre intellegeres, quare verba insequentia ,in sinu' essent apposita.

Restat, ut ,intra moenia' eodem sensu positum sit quo ,intra muros', quod ipsius Catonis verba testantur in hujusce cap. § 22

vos cunctamini etiam nunc, quid intra moenia apprehensis hostibus faciatis?

Totius autem sententiae gravitatem ut augeret, Sallustius addidit his verbis ,atque in sinu urbis', qui genitivus et ad moenia et ad ,in sinu' spectat. Quae

quum ita sint, dubitari nequit, quin etiam hoc loco librorum Parisinorum PP′ praestet scriptura ,Catilina cum exercitu faucibus urget, alii intra moenia atque in sinu urbis sunt hostes', id est alii intra muros urbis atque in media urbe sunt hostes. Ceterum Vi auctoritas non tam tentatur loco Cic Verr V 96 ,in sinum urbis' quam tribus locis Hegesippi III 5. 11. IV 9. 15. IV 21. 7, imitatoris Sallustii, quos neque Jordanus neque Anhaltius ad refutandum Weinholdi judicium attulerunt.

Qui quidem loci singuli per se examinati non ejus momenti sunt, ut inde certum de codicum auctoritate judicium feramus, sed inter se comparati collatique argumento sunt emendationes vel potius corruptelas libri Vi originem duxisse e ratione certa atque consilio aliquo scholastico. Itaque, quum libris Paris. PP′ eaedem saepissime lectiones contineantur, statuendum est in locis dubiis nullo modo facilius rectum posse constitui quam si ea, quae tradiderunt PP′ inter se componimus. At fortasse quis nobis objiciat librum Vum sic ut vel optimum quemque codicem librariorum vitiis non vacare neque consilio, sed stultitia mutatum esse. Cui alterum concedo, quod permultis exemplis confirmatur cfr.

C 52,5 si ita Vus si ista PC
J 110,1 eore
J 110,6 adfinis — at finis
Hist. or. Lep. 26 praedio — praesidio

or Phil. 1 parva — prava
or Phil. 5 habeo — ab eo
or Cottae 7 sumptum — sumptuum.

Alterum nego, nam quo modo nisi mutando orta esse putes verba, ut cetera omnia omittam, quae leguntur J 85,39 ,Sordidum me et incultum moribus ajunt' pro ,incultis moribus'? Quod si ita est, nemo negabit fidem et auctoritatem libri Vi locis tractatis, quibus multos alios addere possum, graviter in dubium esse vocatam. Neque vero ex mea sententia inde sequi videtur, ut ejus testimonio arbitremur ne tum quidem fidem esse habendam, quum verba vel elocutiones praebeat, quae Sallustiano dicendi usu haud dubie firmantur.

J 14,12 Adherbalem hoc modo in senatu locutum accepimus ,Ego sic existumabam, patres conscripti, uti praedicantem audiveram patrem meum: qui vostram amicitiam diligenter colerent, eos multum laborem suscipere, ceterum ex omnibus maxume tutos esse'. ,Multum laborem PC; multum laboris Vus'.

,Multum laborem' id quod PC praebent a Sallustio profectum esse omnes viri docti ni fallor nullo argumento adjecto consentiunt excepto Weinholdo, qui quidem — constanter sibi — etiam hoc loco Vum secutus est. Statuit enim ex ,multum laboris' facillime errore librariorum, qui neutrum ,multum' vel substantivum vel adjectivum ignorassent esse posse, ortum esse ,multum laborem', quum ,multum' adjectivum esse rati substantivum eodem casu adjecissent. Quae argumentatio quamquam scite et eleganter ab eo est instituta, tamen Sallustium multa quoque exempla docent crebro adjectiva neutrius generis cum substantivorum genitivis conjunxisse cfr. C 17,2 plurumum audaciae J 21,2 diei extremum 31,22 quantum importunitatis 4,44 quantum temporis 51,2 multum diei

85,3 quantum negoti 90,1 aestatis extremum 93,2 summum montis Hist. II 77 diei medio.

Quum idem cadere in locos C 20,15 hortantur C 51,40 circumveniri J 85,24 fateor J 85,31 parvi' jam alii viri docti statuerint, eis praeter locum J 14,12 supra tractatum addo

C 51,21 ,Sed per deos immortalis, quam ob rem in sententia (in sententiam cfr. supra) non addidisti, uti prius verberibus in eos animadverteretur'; P adverteretur; P' ,anim' in margine. Cui tamen rei non tribuo quidquam nisi, quod inde aliis similibusque mendis comparatis nonnullis apparet locis non admodum diligenter accurateque archetypum, ex quo primae familiae libri fluxerunt, scriptum fuisse. Neque vero hanc de fide libri Vi quaestionem ita posse absolvi, ut a Weinholdo factum est, inde discimus, quod in numero locorum, qui illo libro integri sint proditi, multos collocat, quos alii viri docti gravissimis argumentis rejecerunt. Deinde quum in eadem disputationis parte haec tria locorum tractandorum genera proponat, in quibus liber Vus vel solus vel cum aliis genuinam scripturam praebeat, vel sive solus sive cum ceteris falsa exhibeat, eum miror non recte judicasse de loco, qui est J 10.2.

,Nam ut alia magna et egregia tua omittam, novissume rediens Numantia meque regnumque meum gloria honoravisti tuaque virtute nobis Romanos ex amicis amicissimos fecisti'. Ita haec verba in omnibus et libris et editionibus leguntur, nisi quod Vus ,oneravisti' exhibet. Ac primum quidem, quum illam viri docti praestantiorem esse scripturam arbitrati his exemplis firmassent

C 12,4 verum illi delubra deorum pietate, domos suas gloria decorabant

C 35,3 indignos homines honore honestatos videbam in ea inquirendum sibi esse putavit Weinholdus. Disputantem vero aliud esse ,decorare' aliud 'honorare', aliud esse ,honore honestare' aliud ,gloria honorare' fugit, hoc conexu sententiarum nullo modo sejungendum esse substantivum a verbo, cui adjunctum unam dicendi formulam efficit. Deinde ,honorare' verbum in hanc partem explicans, ut idem id significare contendat quod vernaculi sermonis ,eine Ehre erweisen' non reputavit, quae intersint inter ,eine Ehre erweisen' et ,Ehre erweisen, ehren', quo sensu omnibus locis hoc verbum positum esse inter omnes constat. Neque extrema Weinholdi commentationis parte refutamur, utpote qui exempla ex aliis deprompserit auctoribus, quae qualia sint cognoscas

Plaut Capt. IV 17 ita hic me amoenitate amoena amoenus oneravit dies

Stich IV 1,27 nos potius oneremus nosmet vicissatim voluptatibus

Plin ep. I 8 onerat te quaesturae tuae fama, onerat testimonium principis, onerat tribunatus

Liv. IV 13 onerare aliquem laudibus

Sall. J 12,3 promissis onerat impellitque.

At quamvis non sint in promptu loci, quibus utrum ,honoravisti' an ,oneravisti' scripserit Sallustius discerni possit, quoniam nullo nisi hoc loco honorandi verbum apud eum scriptum exstat, tamen locum me indagasse mihi persuasum est, quo librorum controversia dijudicetur. Nam verba, quae occurrunt J 6,2 ,Micipsa, tametsi initio laetus fuerat, existumans virtutem Jugurthae regno

suo gloriae fore', nonne eadem intelleguntur quae hoc loco ,regnum meum gloria honoravisti'?

Jam pergo ad locum J 24,2.

,Non mea culpa saepe ad vos oratum mitto, patres conscripti, sed vis Jugurthae subigit'. Quum haec in omnibus libris legantur, Vus unus ,ad' praepositionem omittat, omnes, qui scriptis Sallustii edendis tractandisque operam dederunt, scripturae libri Vi rationem non habuerunt excepto Gerlachio, qui ,oratum mitto' idem esse interpretatur quod ,legatos mitto'. Ejus opinioni adversatus Kritzius Adherbalem dicit sese excusantem non eo veniam patrum expetere, quod iterum legatos mitteret, sed quod timeret, ne precibus molestus fieret; qua de causa ,oratum mitto' eandem quam ,precibus adire' vim habere. Cautius rem tractavit Weinholdus, qui hunc locum eorum facit, quibus, utrum Vum an ceteros libros sequatur, haesitet; Jordanus vero (in Herm. vol. I p. 239) alteram scripturam collaudat, alteram grammatici studio mutandi asseverat esse corruptam. Obstare autem videtur locus Septimii, initatoris Sallustii, II 51 qui eum oratum venissent', quem, quia apud eundem scriptorem legitur II 21 iterato ad vos ab eandem causam oratum venimus' non tanti fecerim, ut a librorum auctoritate recedamus, praesertim quum in omnibus libris J 108,2 haec scripta sint

,Quem Bocchus fidum esse Romanis multis ante tempestatibus expertus ilico ad Sullam nuntiatum mittit paratum sese facere, quae populus Romanus vellet.

Neque Memmii orationem J 31 libro Vo satis integram esse traditam duobus locis pertractatis nemo est,

qui abnuat. Quo in numero est § 10 ,Neque eos, qui ea fecere, pudet aut poenitet, sed incedunt per ora vostra magnifici, sacerdotia et consulatus, pars triumphos suos ostentantes, proinde quasi ea honori, non praedae habeant', ubi contra communem ceterorum librorum ,honori, non praedae habeant' memoriam in Vo solo scriptum exstat ,honores, non praedas'. Dietschius, ut hanc librorum discrepantiam quasi exaequaret neve alterum altero praestantiorem esse censeret, in editione a. 1859 scripsit ,honori, non praedas habeant'. Quod ne Weinholdo quidem placuit, qui fieri posse negavit, ut in priore enuntiati parte primam codicum familiam, in posteriore libri Vi auctoritatem sequeremur. Quocirca, quum scripturam libri Vi praeferret, qua concinnitas nusquam a Sallustio neglecta efficeretur, locum sic explicavit: ,incedere nobiles per ora populi magnificos, sacerdotia et consulatus, partem triumphos suos ostentantes, proinde quasi ea adepti sint, dum populus, ut eos honoraret atque pro meritis ornaret, imperia eis mandavisset, non ipsi per fas ac nefas haec omnia arripuerint'. In ceterorum vero librorum lectione nihil aliud inesse nisi hoc dixit: ostentare nobiles sacerdotia consulatus triumphos, perinde ac si eis utantur, ut inde honorem atque gloriam capiant, nec vero imperio et magistratibus utantur, quibus aerarium expilent et vectigal regum populorumque accipiant'.

At concinnitate per utramque lectionem servata id primum haud levis momenti est, quod, quum sacerdotia et consulatus re vera sint honores, Sallustius dicere certe non in animo habebat, homines eos habere honores ,quasi honores, non praedas', sed paucis verbis ampliorem expressisse videtur hanc enuntiationem ,proinde quasi ea

sic habeant, ut iis honori, non praedae sint'. Verba autem ‚praedae esse' attinent vel ad ea, quae vi rapiuntur, vel ad ea, quae rapta tenentur; cui rei testimonio sunt loci

C 21,4 quibus ea praedae fuerat

J 69,3 civitas cuncta poenae aut praedae fuit

J 90,2 quod superioribus diebus praedae fuerat. Accedit, quod Sallustius ipse eam nobis proposuit interpretationem J 4. 7—9.

. . . ‚etiam homines novi, qui antea per virtutem soliti erant nobilitatem antevenire, furtim et per latrocinia potius quam bonis artibus ad imperia et honores nituntur; proinde quasi praetura et consulatus atque alia omnia hujusce modi per se ipsa clara et magnifica sint, ac non perinde habeantur, ut eorum, qui ea sustinent, virtus est'.

Transeo ad § 18 ‚Dicet aliquis, quid igitur censes? Vindicandum in eos, qui hosti prodidere rem publicam. Non manu neque vi, quod magis vos fecisse quam illis accidisse indignum est, verum quaestionibus et indicio ipsius Jugurthae', ubi Vi scripturam . . . vobis fecisse . . . improbandam esse Anhaltius monet. Falsa enim construendi ratione decepti scribae genuinam scripturam depravaverunt, quum utriusque membri pronomen putarent ex ‚indignum' adjectivo pendere. Quodsi hoc loco legimus

‚quod magis vos fecisse, quam illis accidisse idignum est' pronomen relativum ‚quod' et accusativo casu et nominativo usurpatur. Cujus licentiae duo exstant apud Sallustium exempla

J 14,16 quae aut amisi aut ex necessariis adversa facta sunt J 101,5 quos Volux filius adduxerat neque in priore pugna in itinere morati adfuerant. Eis adscripsi

Cic. Or. 1,4. Quod si quem aut illa praestantis ingenii vis forte deficiet aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis

Ter. Adelph. I 2,4. Quem neque pudet quicquam nec metuit quemquam.

Veniamus ad cap. 85, cujus in § 2, si Jordano fides debetur, omnibus et iis optimis libris traditum est ,quo pluris est universa res publica quam consulatus aut praetura, eo majore cura', uno Vo ,quanto pluris — eo majore'. Mirandum est, quod ejus scripturae tam acres defensores exstiterunt, ut neglecta omnium librorum fide ,quo' conjunctionem sive errore sive mutatione ex ,quanto' hoc loco ortam esse asseveraverint eademque de causa ,quanto' scripturam duobus locis Ciceronianis et Livianis comprobatam assumpserint. Quorum argumentorum alterum non est cur illi viri docti protulerint, quum causam mutandi haud facile quis deprehenderit; alterum ab eis refutatur, qui ad res grammaticas conscribendas sese contulerunt. Nam quoniam praeceperunt e numero conjunctionum cum comparativis qui vocantur conjunctarum optime sibi invicem respondere non ,quanto-eo', sed aut ,quo-eo' aut ,quanto-tanto', licetne unius libri verba tanti aestimare in arte critica factitanda, ut ceterorum omnium auctoritatem impugnemus?

In proxima § 5

,Et illud intellego, Quirites, omnium ora in me convorsa esse, aequos bonosque favere, quippe mea bene facta rei publicae procedunt, nobilitatem locum invadendi quaerere' ea quae in Vo ,benificia in rem publicam procedunt' reperiuntur, minus apta nobis videntur, quia ,bene facta rei publicae procedere' certe idem significat quod

prospere evenire'. Quae quum ita sint, dativo commodi qui vocatur in hac structura ex verbo pendenti omnino carere non possumus. Testes sunt loci

C 27,3 multa agitanti nihil procedit

J 65,5 ita Mario cuncta procedere

Liv. II 44,1 velut processisset Sp. Licinio

Liv. XXIV 26,5: si Andranodoro consilia processissent.

Initio orationis suae Marius conqueritur se, hominem novum, contemni propter virtutem a nobilibus, qui ex vetere nobilitate et majorum rebus gestis magnam gloriam atque honorem sibi arrogaverunt. Quas contumelias sibi illatas ut respuat eorumque superbiam castiget in § 17 ,Quodsi, inquit, jure me despiciunt, faciunt idem majoribus suis, quibus, uti mihi, ex virtute nobilitas coepit'.

Ita legitur in PC; in VC ,faciant'; in deterioribus libris ,facient'. Conjunctivum ,faciant' ut sustentent, qui Vi auctoritatem sequuntur, contendunt Marium quidem ab illis despectum esse, neque vero cogitari posse eosdem ipsorum majores despexisse, id quod indicativo exprimatur. Minime autem Marius, ut se ab eis, quae a nobilibus ei objiciebantur, defenderet, conjunctivo uti potuit, quo non solum de verbis suis gravitatem ac severitatem detraxisset, sed ne ea quidem elocutus esset, quae in animo habebat. Id enim ille egit, qui, quam infesti sibi nobiles essent, non ignoravit, ut populo persuaderet, quam vano stultoque studio adversarii sibi obtrectarent, quum eorum nobilitatem sua virtus exaequaret. Itaque quod sibi ab illis vitio datum est, ad illorum majores refert, qui eodem modo nobilitatem adepti sint atque ipse. Non igitur hoc loco adhortatione in ,faciant' conjunctivo posita opus est, sed illorum majorum contemptum cum suo tam necessario

conjunctum esse ait Marius, ut alter ab altero sejungi nequeat. Vel ut idem aliis verbis dicam: Si jure me despiciunt, re vera majores suos despiciunt, qui, aeque homines novi atque ego, ex virtute nobilitatis originem duxerunt.

Scriptura libri Vi fortasse ex errore librarii orta est, cujus oculi ad ea aberrarunt, quae sequuntur ‚Invident honori meo, ergo invideant labori', quae nihil ad rem pertinere e sensu utriusque enuntiati manifestum est.

Neque minus discrepant codices in § 29 ‚praeterea cicatrices advorso corpore', e quibus unus Vus ‚pectore' exhibet, nisi quod idem in libro Basiliensi reperitur, superscripto tamen ‚corpore'; in reliquis scriptum exstat ‚corpore', cui scripturae in libro P ‚pectore' superscriptum est. Auctoritate Vi parum confisus in textum recepit Jordanus, studiosissimus ille Pi sectator, scripturam ‚corpore' probatam locis Plin. n. h. 7,101 et Cic. Verr. V 1,3 ‚cicatrices adverso corpore exceptas'. Nihilo minus Dietschius ‚pectore' legi maluit, quum ‚volnera, quae pectore advorso excepta essent, multo laudabiliora et gloriosiora essent quam quae advorso corpore', atque ejus judicium prorsus amplexus defendit Weinholdus loco allato Quint. II 15,7 ‚cicatrices, quas is pro patria pectore adverso suscepisset'. Eam autem explicationem, quamvis sagaciter sit excogitata, vix stare posse intelleget, qui accuratius perlustraverit illa Ciceronis verba ‚constituitque in conspectu omnium tunicamque ejus a pectore abscidit, ut cicatrices populus Romanus judicesque aspicerent adverso corpore exceptas; simul et de illo vulnere, quod ille in capite ab hostium duce acceperat, multa dixit'. Adde non solum quae saepius apud Ciceronem eodem

sensu occurrunt ,cicatrices adversas', sed etiam locos Gell. noct. Att. II 27 et Curt. IX 21

,Multis adverso corpore acceptis vulneribus egregiaque edita pugna'.

Ceterum utraque scriptura et ,corpore' et ,pectore' esse satis bona videretur, nisi illa testimonio plurimorum librorum commendata esset.

Pergo ad J 102,8. ,Atque hoc utinam a principio tibi placuisset: profecto ex populo Romano ad hoc tempus multo plura bona accepisses quam mala perpessus esses'. Vus ,esse'; Pus ,quam mala perpessus esses' omisit, quae verba P′ in margine addidit; C ,perpessus es'. In tanta librorum discrepantia, qui in scriptis Sallustii tractandis versati sunt, tam diversam rationem inierunt, ut Kritzius Jacobsius Dietschius laudarent pro vulgata omnium fere codicum lectione ,esses', Jordanus servaret ,es'. Neque vero fieri potest, quin ejus judicium defendatur hoc modo. Sulla oratione, qua Bocchum a Jugurthae partibus abalienare studet, ostendit eum, si jam prius foedus amicitiamque populi Romani petiisset, permulta beneficia a Romanis accepturum fuisse, quae, quum socius Jugurthae fuisset, re vera accipere non potuisset Eademque de causa Bocchum mala, quae, quia Romanis bellum intulisset, ei subeunda fuissent, evitare potuisse. Quia igitur et beneficia a Romanis impetranda ipse neglexit et bello a Romanis victus injurias accepit, dici potest ,perpessus es'. Contra lectionem ,perpessus esses' ut retineamus, primum affirmandum est Romanos a sociis atque amicis multa officia et labores postulasse; deinde oritur quaestio, num inepta sit sententia talis: tam multa bona ex amicitia populi Romani accepisses, ut quae mala inde tibi evenissent,

pro nihilo habenda essent? Nobis autem, quum, utrum ‚perpessus es' magis sententiae loci respondere videatur an ‚perpessus esses' auctoritate fideque codicum satis probetur, e re proposita dijudicandum non sit, ostendisse sufficiat Vum hoc uno loco tribus vel maximis corruptelis affectum esse. Cujus lectionem ‚Atque hoc utinam principio tibi placuisset! profecto ex populo Romano ad hoc tempus multo plura bona cepisses quam mala perpessus esse' quis est, qui tueri conetur?

Jam vero si ea, quae invenisse nobis videmur, comprehendimus, in primis statuamus necesse est eos locos, quibus auctoritati librorum neque usus dicendi Sallustii neque leges sermonis Latini obstant, collatis librorum scripturis potius esse sanandos quam conjecturis. Quo praecepto neglecto tot tantasque in arte critica Sallustiana difficultates nonnunquam editores auxerunt levitate, qua in constituendo textu pro verbis testimonio librorum traditis alia ex suo arbitrio praebentes usi sunt. Cujus rei hoc exemplum, quum gravissimum sit argumentum, afferre nobis liceat.

C 6,2 in libris legitur

‚Hi postquam in una moenia convenere, dispari genere, dissimili lingua, alius alio more viventes, incredibile memoratu est, quam facile coaluerint'.

Vocem ‚alius' Kritzius ut praestantissimorum et longe plurimorum codicum auctoritate adjutam retinet, quia, quum ‚alius' bis, sed non eodem casu positum non unius, sed plurium significationem contineret, praedicatum adhibita illa constructione quae dicitur *κατὰ σύνεσιν* recte plurali numero enuntiari posset. Eo magis mirandum est, quam ob rem Dietschius Jordanus Jacobsius paucos

ac minime probatos libros secuti ,alii alio' legendum esse censuerint, praesertim quum similium locorum exemplis ,alius' singularem numerum minime usui Sallustii dicendi repugnare confirmetur

C 2,3 neque aliud alio ferri neque mutari ac misceri omnia cerneres

C 6,5 at Romani domi militiaeque intenti festinare, parare, alius alium hortari

C 22,2 quo inter se fidi magis forent, alius alii tanti facinoris conscii

C 52,28 sed inertia et mollitia animi alius alium expectantes cunctamini

J 12,2 reguli interea in loca propinqua thesauris alius alio concessere

J 58,8 igitur pro metu repente gaudium mutatur, milites laeti alius alium appellant.

Quae structura, quum etiam apud alios scriptores Romanorum
Liv. II 10 dum alius alium circumspectant Curt. X 45,16
saepius reperiatur, legibus grammaticis logicisque scite defensa est a Friderico Gruendel [23]).

Neque tamen in libris Sallustianis negari potest locos inesse, quorum emendatio nisi conjectura fieri non possit. Ejus modi mendo laborare videntur, quae leguntur J 38,10

,Quae quamquam gravia et flagitii plena erant, tamen, quia mortis metu mutabantur, sicuti regi lubuerat, pax convenit'. Loco, quem tractaturi sumus, credo vix ullum

---

[23]) in annal. gymnasii Thorun a. 1869.

in libris exstare majore pravitate et perversitate traditum, quam ob rem editores alius aliam emendandi rationem inierunt. Quum vero nihil ex tam diversis librorum scripturis perspiciatur nisi Romanos mortis metu perculsos turpes pacis condiciones accepisse, proposuit sive recepit Kritzius ‚mutabant', cui scripturae, ut explicaret, sensum talem subesse adscripsit: quia propter mortis metum se mutabant, id est alia videbantur atque erant. Jacobsius fortasse judicium Lechneri[24]) secutus passivi imperfectum legi mavult. Eorum autem opinioni adversati, quia rarissimum et inusitatum hunc mutandi verbi usum Sallustio denegaverunt, alii librorum verba ita neglexerunt, ut textui insererent Jordanus ‚mutabant', Dietschius ‚mortis metum intuebantur', Gehlenius ex loco C 31,2 ‚suo quisque metu pericula metiri' proponeret ‚mortis metu metiebantur'. Sed si quae in libris reperiuntur ‚mutabantur multabantur minitabantur tenebantur cogebantur urgebantur augustiabantur mortis metuebant pericula' amplexi erimus, quamquam ea verba vel corruptelas genuinae sententiae vel glossemata esse adjecta apparet, inde discemus conjectura ejus modi opus esse, ut subjecti loco Romanos habeamus (id quod Weinholdo minime placuit). Si igitur concedimus de enuntiati subjecto dubitari e consensu librorum non posse, maxima hujus loci difficultate superata quaeritur, quomodo verbum, quod in hunc sensum optime quadret, inveniatur. Quum vero optimorum librorum scripturae exeuntes in ‚— tabantur' consentiant quidem, sed fluctuent in priore verbi parte praebentes

[24]) Observationes in nonnullos Sallustii locos ed. Curiae Bavaricae a. 1828.

aut mu—aut mul—, veri simile est Sallustium scripsisse ‚multum agitabantur'. At quamvis ex ‚multum agitabantur' subtiliter doceat Klimscha [25]) contracta esse ea, quae leguntur in libris ‚mutabantur' et ‚multabantur', tamen haesitamus in hoc loco emendando, quia de Romanis, quos libri, ut supra diximus, subjecti loco videntur habuisse, neque in hac neque in praecedenti capitis paragrapho sermo est.

Restat, ut, quae adhuc disputavimus, in unum conspectum conferamus. Ac primum quidem longe plurimis quos attulimus locis quum non modo scriptura libri Vi aut certo consilio mutata aut aliis de causis corrupta sit, sed etiam paucis locis verba desint, quibus, ut sententia intellegatur, prorsus carere non possumus, statuere debemus ei non tantam fidem esse tribuendam, ut in legendis Sallustii scriptis optimum eum et certissimum artis criticae auctorem habeamus. Deinde si quaeritur, quem librum vel quos ei libros esse anteponendos censeamus, hanc quaestionem nemo nescit non prius posse absolvi, quam omnes qui exstant libri Sallustiani tam accurate ac diligenter explorati eorumque scripturae ita inter se comparatae sint, ut appareat, et qui libri ut depravati aut supervacanei sint parum probandi et quibus optime Sallustii manus sit servata. Qua re ad hoc tempus, quod scio, non omni ex parte perfecta factum est, ut in controversis locis recensendis ipsa librorum multitudine in summam dubitationem adducamur; atque haec causa est, cur cujusvis judicii tam acres exstiterint defensores, ut nibil certius esse pronuntient quam quod demonstrare

---

[25]) in annal. gymn. Salzburg a. 1866.

